

Beryllium, Βηρύλλιον: sequente autem, & ultimo Onychium, ὄνυχιον, posuerunt, sicuti & Iosephus. Hebraicè legitur Schoham, שׁוֹחַם: Erant autem Schoham duo magni, etiam in humeris Epomidis, Lxx. Smaragdus verterunt, Iosephus Sardonyches, cū hoc in loco onychem vertat. lege suprā quæ in Gemmæ primæ explicatione scripsimus. Iudæus quidam Bibliorum paraphraistes, ferè ubiq; vertit בורלא, Burla, quæ vox ad Beryllum accedere videtur, inquit Fagius. Phison fluuius circuit totam terram Hauilah: in qua est aurum bonum, & Bdolah, [*vel Bedolah: quod alij aliter interpretantur,*] & Schoham, Genesios 2. Augustinus Steuchus in recognitione in Vetus Testamētum: Variatur, inquit, in hoc lapide Schoham: quem Aquila, Symmachus & Theodotion, Onychinū sunt interpretati, quos sequitur Pagninus in suo Thesauro. Septuaginta lapidem Prasinum. Schoham, inquit

(A) 3